

Causa enim efficiente penitus e medio sublata, ejus etiam actio cessat, quae morbum efficiebat (§. 22.), usum motuum aequabilem laedens: etiam resistentia, per quam corpus vi sua laesa ad eam eliminandam resistebat; tota simulque symptomatum nebula dissipatur; postea autem integer ipsorum motuum statim accedit usus, qui prospera valetudo vocatur (§. 11.).

§. 36. Medicus enim tale quid in morborum curatione medicamentis utilibus facere tenetur, quale quid natura facit, et morbo resistit (§. 27.) subigens anteac et digerens, et per unicam solam subitam humoris infestantis excretionem valde salutariter morbos judicans (§. 30.). Immo vestigiis ejus obsequi debet eique opportune cum utilitate succurrere (§. 29.), prius quidem causae vim debilitans, illamque totam mutans et alterans, illius etiam efficaciam hebetans, medicamentis quae vocantur digestiva talibusque remediiis. Hoc enim modo vim ejus auget, eamque ad illam eliminandam sat corroborat;